



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ephesini Concilii Generalis Pars III. Sub Cælestino papa I. anno CCCCXXXI.

Parisiis, 1644

Actio III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15241

& Theodosium missa,) paulo post sanioris mentis effecti, a sceleratorum militia deficientes, ad catholicæ ecclesiæ castra se receperunt. Hæc ex actis Concilii Ephesini Baronius anno 431. numero septuagesimoprimo, usque ad 80.

ANNO
CHRISTI
431.

ACTIO II.

Secunda actio Concilii orthodoxi decima Iulii inchoata est, in qua post duodecim dies habitu Conciliabuli, legati sedis apostolicæ eodem die, quo Ephesum appulerant, in Synodus introduciti, obtulerunt literas Cælestini pontificis, ob dignitatem apostolicæ sedis Latine scribentis, Latine recitatas. Quas cum patres velut catholicas & orthodoxas prædicassent, & faustis acclamationibus acceperint, iisdem legatis acta Synodi, prout petierant, prælecta fuerunt, eo consilio, ut latam contra Nestorium sententiam suo suffragio etiam confirmarent. Ex actis Concilii Ephesini Baronius numero 80, & 81.

ACTIO III.

Legati sedis
apostolicæ
Nestorii
condemna-
tionem ap-
probant.

Nestoria-
norum in
Cyrillum
calumnia.

Isidorus Pe-
lusiota cum
Cyrillo ex-
postulat.

Vndecima Iulii, tertia actione patribus Concilii conuenientibus, legati sedis apostolicæ in damnationem Nestorii suum calculum adiecerunt. Quorum primo loco Philippus presbyter post sententiam, de primatu sedis apostolicæ quædam prælocutus est, quæ sanctum Concilium approbavit. Post Philippum cardinalem presbyterum, proximiore connexione capiti ecclesiæ coniunctum, duo reliqui sententiam pronuntiarunt, & subscriperunt, quantumuis episcopali dignitate præminerent. Quod hæc damnatio Nestorii non tantum per legatos Cælestini pontificis, verum etiam omnium occidentalium episcoporum vicem agentes, confirmata fuerit, duabus synodicis epistolis ad imperatorem Theodosium & clerum Constantinopolitanum, nulla rerum in Conciliabulo gestarum mentione facta, prescriperunt. Nestoriani interim ut eas, quas Cyrilus de damnato Nestorio in Ægyptum scripsisset literas anteuerterent, suis istuc transmissis, significarunt Cyrillum eodem animo in Nestorium commotum esse, quo Theophilus Chrysostomum antehac infectatus fuit, & ut eum Ægyptiis odiosum redderent, addiderunt eumdem sua meritissima culpa absque perendina dilatione excommunicatum esse. Quæ res piorum multorum animos exulteauit. Inter alios Isidorus Pelusiota, commentis hæreticorum fidem adhibens, per epistolam cum Cyrillo expostulavit; monens ne qui nepos esset Theophili, mores sicutiamque eiusdem imitetur. Vicetorem sanctissimum monachum per calumnias eo infamiae adegerunt, ut mandato Concilii se per iuramentum ab obiectis hæreses calumniis purgare debuerit. Ex Cyrillo & actis Concilii Ephes. Baron. anno 431. num. 82. usque ad 87.

ACTIO IV.

Quarta actione, post interuallum aliquot dierum decimasexta Iulii, in eamdem Dei genitricis basilicam patres Concilii conuenerunt, acturi de modo & ratione, qua iniuriam Cyrillo, Memnoni, aliisve orthodoxis episcopis a Conciliabulo Nestorianorum irroga-